

LXXXIV. VII. 90

849. Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 172. 8. per duas columnas minute sed nitide exaratus, rubricisque distinctus, praemisso rerum memorabilium indice continet *Commentaria* moralia in *Psalterium* potissimum e Patribus lecta, quorum initium: *Beatus uir &c. Sciendum quod intencio psalmorum est facere homines virtuosos. Quia igitur iste psalmus titulus est aliorum propter hoc in isto tangit virtutes inter quas prima est beatitudo et ideo primo de ea loquitur deo &c.* Ad IV. porro Virtutes, quas *Cardinales* vocant, sua reducit Autor ita, ut ab initio usque ad *Psalum XXXVI. Iustitia*, inde usque ad *Pf. LXX. Fortitudo*, deinceps usque ad *Pf. CVIII. Prudentia*, demum usque ad finem *Temperantia* summae foliorum orae minio fit adscripta. Verum extrema defunt; deficit enim interpretatio in *Pf. CXLIX. v. 2. verbis Gregorii: Homo per exteriorem uerecundiam interiorum ingrauat culpam. ut dicat illud Jer. III. frons meretricis facta est tibi.* Autorem *Gallum* fuisse suspicor, cum ex iis *fol. 99. p. 2. Mare non excipit personam. sic infernus ita deuorabit regem sicut uilissimum garcionem*; tum e citata in margine *fol. 98. p. 2. Summa cancellarij.* Quo loco tamen intelligi vix poterit ob aetatem Codicis *Johannes Gerson*, sed aut *Petrus de Alliaco*, aut alius quis eo in munere Antecessorum veniet. Eruditionis etiam profanae non

exortem fuisse Nostrum *Ovidius* plus vice simplici adductus probat. Patrum citatorum Nomina posterior manus marginibus adlevit.

LXXXV. VII. 2. 8.

Codex chartaceus lat. Sec. 246 XV. Folior. 359. f. per duas columnas bene exaratus continet: I. *Commentarium in Psalmos Davidicos* absque Autoris indicio, quem tamen inuenio *Ludolphum* s. *Leutholfum de Saxonia*, qui Sec. XIV. ab Ordine Praedicat. ad Carthufianos transiit, ut habes in *Scriptt. O. P. T. I. p. 568.* et in *Theod. Petreji Bibl. Carth. p. 233.* Prologi initium est: *Sicut olim manna habuit delectamentum &c.* Sed praefigitur locus *Jobi. c. 26. Spiritus eius ornavit celos &c.* quem tardius additum fuisse putem. Interpretatio *Psalmi I.* sic incipit: *Autor huius psalmi proprie ignoratur &c.* Sententia ut plurimum *Hieronymi, Augustini, Cassiodori* et *P. Lombardi* sententiis insistit. Singulis *Psalms* subiecta est, ut jam in pluribus Bibliorum *Codd.* vidimus, pia precatio, quas junctim legere est inter *Georgii Caspandri Opera.* *Psalmi ult.* interpretatio finit: *acutum sonum reddunt, qui etiam tynnitus dicitur, quam excipit precatio: Armonie nostre suavissimum melos &c.* Atque hic in editione saltem *Veneta 1521. f.* quam ex pluribus a *Fabricio* in *Bibl. med. et inf. lat. L. II.* relatis ante me habeo, explicat *Ludolphi* opus, sed in *Cod. nostro* sequitur

II. fol. 319. *Commentarius in Cantica V. et N. T. et Symbolum Athanasio tributum*, quem pariter *Ludolpho* adscribere non formido. Ita conspirant omnia cum praecedentibus. Initium facit Canticum *Isaiae: Confitebor tibi domine &c.* Quodvis Canticum preceatione sua stipatur, quarum ultima incipit: *Sancta trinitas atque indivisa unitas omnipotens eterne deus &c.* Ad calcem: *Explicit die martis post martini 1446.*

III. fol. 356. p. 2. Elenchus *Haeticorum* juxta literarum ferriem confectus ad modum *Philastrii* et *Honorii Augustodun.* quibus etiam usus videtur *Nofter.* Initium absque inscriptione: *Quidam Heretici qui de ecclesia recesserunt ex nomine Autorum suorum nuncupantur &c.* Primi sunt *Appellite*, ultimi *Valentiniani*, quos *Postfamen* excipit, in quo inter alia: *Similiter inter quosdam malos begbardos et begins diuerse hereses pullulant.* Unde de Autoris aevo statuas. Liberalior is fuit in multiplicandis *Haeticis*, quem admodum dicti ejus antecessores, qui in quibusdam ex eo emendari possunt; ita de *Cainanis* bene: *quoniam chain adorant*, ubi in *Bibl. PP. Lugd. T. XX. p. 1039.* prave: *quoniam Cain ode-rant.*

Thecae Codicis interius utrinque adglutinata fuit membrana, cujus una facies continere videtur, quantum adhuc legi potest, Acta pertinentia ad Reformationem Coenobii Virginum *S. Stephani Argentinensis* factam a *Jo-*

banne de Stemborn Decret. doctore et Vicario generali *Ruperti Ep. Argentin.* nec non a *Nicolao Lindenstumpff* Licentiato in Decret. et Canonico *S. Thomae Argentin.* commissariis memorati *Ruperti* Episcopi, cui Synodus *Basileensis* ejusmodi reformationem injunxerat. In altera facie clare legitur notitia insinuationis factae superioris instrumenti *Johanni Wernlin* procuratori *Abbatissae* ejusdem coenobii, relicto ejus apographo in manibus *Verene Waldnerin* Canonice ejusdem monasterii. Testes *Conradus Tenger* sacrista chori *S. Stephani* et *Johannes Huter* familiaris *Abbatisse.* Actum A. 1442. *indict. quinta Pontificatus Felicis PP. V. anno II. die 25. mensis Januarii in choro Ecclesie S. Stephani.* Notarius *Leonardus Valck.*

LXXXVI. VI. E. 26.

Codex membraneus lat. Sec. 314 XIV. Folior. nunc 194. f. per duas columnas sat nitide scriptus, et rubricis enotatus, exhibet: I. *Commentarium in Psalmos priores LI.* Thema *Prooemii* est illud II. *Reg. 6. Cumque transcendissent qui portabant archam domini &c.* Initium: *In hac auctoritate determinantur quatuor cause pertinentes ad presentem doctrinam psalorum &c.* Aevum Scholasticorum haec produnt. Initium Psalmi I. *Beatus vir &c.* In hoc notatur duplex in christo perfectio &c. Finis Psalmi LI. *bonus est dominus sperantibus in se anime querenti illum.* Succincta est *Expositio*, sententiis *PP.* in